

splendore, mercium varietate, illustris: ingenii excellentibus virisque eruditissimis beata: bonis legibus laudabilibusque institutis ornata. Frumento, quod ex diversis orbis partibus advehitur, vinis multiplicis generis, inter quæ generosum illud, quod vulgo *Malyaticum* vocant, aliisque rebus humanæ vitæ necessariis, ita affluit, ut recte *Paradisus deliciarum* ab Iasone appelletur ad l. 45, D. de verbor. obligation. Regionibus ibi seu parochiæ 64. Ædificia cum publica, tum privata ibidem magnifica, splendida, sumtuosa, ornata. Inter templa preciosissimum illud, quod D. Marco Evangelistæ dicatum, auro multis locis ornatum: cuius pavementum tessellatum, & marmore varii generis in frustula contuso compositum. In Choro columnæ quatuor marmoreæ, quæ adhibito lumine sunt pellucidæ. Supra portas statua æneæ equorum quatuor, Constantinopoli, quum Veneti eam occupassent, advectæ. Videre hîc licet, præter alia singularia, thesaurum D. Marci immensum & admirandum: in quo mitra Ducalis gemmis plurimis intertexta; in apice carbunculus est pretii inæstimabilis: sunt ibidem coronæ regie aureæ duodecim: thoraces aurei totidem; rubini, inter quos duo extremæ magnitudinis, adamantes, smaragdi, crysolithi, hyacinthi, uniones, aliæque gemmæ numero incredibili: duo, præter illa, Monocerotis cornua, tertiumque minus; vasa omnis generis, ex agate, chalcedonio, auro, argento. Habet insuper urbs monasteria monachorum triginta novem; cænobia monachorum viginti octo; oratoria octodecim; hospitalia, ut vocant, septemdecim; turres cxxv, in quis eminentissima, quæ in foro D. Marci contra Basilicam, intervallo pedum lxxx, lata quaquaversum xl pedes; alta cc xxx, fastigio aureis vestito tegulis, quod sole splendente quam longissime ab Istria Liburniaque navigantibus conspicitur. Fora numerantur ibi 4, in quis primarium D. Marci, ubi præter templum, turrim, palatium, aliæque, duæ visuntur columnæ cum statuis D. Marci alati, & Theodori martyris, intenta hasta draconi incubantis. In ipso intercolumnio supplicia sumuntur de condemnatis. Stant & in foro malitres cum velis nauticis. Numerantur item Venetiis fontes publici cxxviii: statua marmoreæ clxiv, æneæ xxiii; equi ænei ix; portæ æneæ x. Ab his omnibus excipiuntur circumvicinæ insulæ, in quibus adhuc monasteria virorum xi, Vestalium i, turres xiv, statua v. Armamentarium (vulgo *Arsenale*, tanquam *Ars navalis*) cuius circuitus duorum circiter milliarium, laudatum ab insigni triremium ac navium apparatu, instrumentorum omnium copia, tormentorum & machinarum multitudine, munitionum & armorum omnis generis thesauro, infinitorum artificum ferie, rerum ordine, facili usu, promptaque ad omnes neces-

fitates expeditione. Quid dicam de navi Reip. pulcherrima, quæ vulgo *Bucentaurus*? Ea vectus quotannis ad maris introitum, ubi castella æstuarii, Princeps, Senatu primoribusque urbis comitatus, ceremoniis ab Episcopo peractis, mare sibi despondet; injecto ad perpetuandum dominium aureo annulo. Iuxta armamentarium locus est, *Tana* vulgo dictus; funium rudentumque ad naves intorquendorum officina. Scholæ monstrantur vii, Caritatis, Ioan. Evangelistæ, Misericordiæ, S. Marci, S. Rochi, S. Theodori, & Passionis. Bibliothecam, à Bessarione Cardinale Nicæno legatam, auxit supra modum Senatus. Sunt & aliæ, S. Ioannis & Paulli, S. Francisci, S. Stephani, Servorum Mariæ, S. Georgii Majoris, S. Dominici, S. Antonii, quæ fuit Pici Mirandulani. Visuntur & privatorum, Iacobi Contareni, Danielis Barbari, Ioannis Delphini, Rochi Contareni, Sebastiani Erixi, Ludovici & Marci Antonii Mocenigorum, Hieronymi de Mula, Ludovici Balbi, Aldi Manutii, Paulli Parutæ, Ludovici Gradenici, Francisci de Ponte, Ludovici Michaëlis, Iacobi Marcelli, Ludovici Lolini, Francisci Sorantii, Ludovici Malapetræ, Iosephi Zarlini, Augustini Amadæi. Antiquitatum maximus est numerus apud Ioan. Grimandum, Patriarcham Aquilejensem, Andream Lauredanum, Gabrielem Vendramium, Leonardum Mocenigum, & alios. Inter ædificia, post Ducis palatium, maxime conspicua sunt Monetaria, vulgo *Zeccha*, Rivus altus, *Ri-alto*, Domus Germanorum, *Il Fontego de Todeschi*; Iudæorum Habitatio; *Ghete*; Palatium Procuratorum D. Marci: item Marci Michaëlis apud S. Antonium, *de Forlani*, *de Gritti*, *de Trivisani*, *Mal-petri*, *Patriarchæ Aquilejensis*, *Georgiorum de Prioli*, *de Capelli*, *de Pisani*, *de Lauredani*, *Nicolai de Ponte*, *de Leni*, *de Contarini*, *Iustini*, *de Gonella*, *de Grimani*, *de Cornari*, *de Micheli*, *de Soranzi*, *de Foscarini*, *de Emi*, *de Mozenigi*, *de Bragadini*, *de Molini*, *de Barbarigi*, *de Nani*, *de Negroni*, *de Tesoli*, *de Mori*, *Vendramini*, *de Donati*, *de Delphini*, *de Bondoni*, *de Guffoni*, *de Troni*, *de Pisani*, *de Bonaldi*, *de Danduli*, *de Coceina*: item Ducis Vrbinatis, Ducis Ferrariensis, Ducis Mediolanensis, Regis Cypri, & aliorum. Scribit Donatus Iano-tius vices mille propemodum lares seu familias in hac urbe esse; quarum singulæ si binos homines præstent, qui ferendis armis sint idonei, numerus efficietur 40 millium: patritios ad tria millia reperiri addens. Horti sunt 157, in quis præcipui Casparis Erixi, Andreæ Michaëlis, Francisci Boni, Casaris Zelioli, Petri Boselli, Francisci Tedæ, Monasterii B. Mariæ Virginis, Thomæ Contareni, Andreæ Pasqualigi, Leonardi Mori, Grimanorum, Iacobi Contareni, Maffæi Medicis, Augustini Amadi, Alexandri Victoris, Andreæ Danduli, Gritti, Mocenigi, Vendramini, & Cornari. Adscribam hic, qui ad D. Marcum legitur, dialogismum inter advenam & senem.